

est. Aestium omne rutilum, ut siccioribus confectum diebus. Album mel non fit ubi thymum est, sed oculis et ulceribus aptissimum existimatur. E thymo coloris aurei, saporis gratissimi, † quo fit palam †; doliolis pingue, e marino rore spissum; quod concrecit autem, minime laudatur. Thymosum non coit, et tactu prae- 39 tenuia fila mittit, quod primum bonitatis argumentum est; abrumpi statim et resilire guttas uilitatis indicium habetur. Sequens probatio, ut sit odoratum et ex dulci acre, glutinosum, perlucidum. <Ex> aestiua 40 mellatione X partem Cassio Dionysio apibus relinqui placet, si plenae fuerint alui; si minus, pro rata portione; aut, si inanes, omnino non attingi. Huic uindemiae Attici signum dedere initium caprifici, alii diem Volcano sacrum.

(16). Tertium genus mellis minime probatum sil- 41 uestre, quod ericaeum uocant. Conuehitur post primos autumnii imbres, cum erice sola floret in siluis, ob id harenoso simile. Gignit id maxime Arcturi exortus ex a. d. pr. id. Septembres. Quidam aestiuam mellationem ad Arcturi exortum proferunt, quoniam ad